

# **Landesbibliothek Oldenburg**

## **Digitalisierung von Drucken**

### **Martini Chemnitii, Doctoris Theologi celeberrimi, Harmonia Quatuor Evangelistarum**

Quam ab Eodem feliciter inchoatam ... D. Polycarpus Lyserus, et D.  
Johannes Gerhardus, ... Is quidem continuavit, Hic perfecit ; Opus  
Eruditionis Stupendæ, Orthodoxorum consensu approbatum, idemque tot  
Eruditorum desideriis adhuc expetitum

**Chemnitz, Martin  
Leyser, Polycarp  
Gerhard, Johann**

**Hamburgi, MDCCIII**

**VD18 90617681**

Caput CXVI. Christus Relicta Hierosolyma Proficiscitur Trans Jordanem, In  
Locum, Ubi Johannes Baptizarat. Johan. 10. vers. 40.

**urn:nbn:de:gbv:45:1-18203**

quinq̄e hominum millia, absque mulieribus & pueris, contenti apud ipsum pane hordeaceo; cum apud Judæos Hierosolymis afflatis agnos & placentas non fermentatas habere potuissent. Altera vice, cum ex Decapolitana regione rediret, quater mille ipsum secuti sunt, triduum integrum apud ipsum perdurantes, donec tandem & ipsos cibaret. Quod etiam latenter Galilæam transivit, ut discipulos de passione sua instituere posset: quod item quasi in occulto ascendit Hierosolymam ad festum scenopiegias, id indicio est, alias ipsum tantum secum traxisse comitatum suorum sectatorum, ut, aliquando, declinanda invidiae causa, eos clam deserere coactus fuerit. Nam etiam cum in quodam convivio Pharisæi & Legisperiti Domino graviter insisterent, os ipsi occludere conarentur, & infidarentur, ut aliquid caparent, de quo eum accusarent, concurrerunt myriades ex turbis, solicii de Magistro, ne vis aliqua ipsi inferretur. Martha & Maria quidem non leguntur, quod secuta sint ipsum peregrinante: hospitio tamen eum exceperunt, sic re ipsa demonstrantes, se doctrinæ iplius discipulas esse. Inter sectatores Christi hoc anno non potremus fuit cœcus natus, qui à Jesu admonitus & edocitus agnoscit eum esse filium DEI, in eum creditit, ipsumque adoravit. Non tamen omnes

pari integritate & animo Christum secuti sunt: id èo una vice dum tres eum sequi cupiverunt, duos à se rursus ablegavit & rejecit, tertium autem correxit.

5. Adversarios habuit Christus hoc anno tam Politicos, quam Ecclesiasticos. Nam quod Herodes sub initium anni, cum facta ipsius paſsim celebrarentur, ipsum videre desideravit, illud non ex amore factum est, sed quod experti ipsum non minus è medio tollere, quam Johannem Baptizam. Sicuti id aliae narrationes in Evangelistis satis disertè docent. Ex Ecclesiasticis fuerunt Christi hostes Scribæ & Pharisei, qui Hierosolymis se in Galilæam usque ablegari paſsi sunt, ut eum obſervarent, quæſtionibus tentarent, atque operam darent, ut aliquid ex doctrina, vita, & sermonibus ejus arriperent, de quo periculum ipsi creare possent: Hierosolymis autem conjurati ipsius hostes fuerunt Pontifices & Sacerdotes, qui ne templo quidem sanctitatem reveriti eum in ipso templo per ministros suos nonnunquam capere, nonnunquam ipsi aperta vi eum opprimere conati sunt. Sed ubivis & semper Christus suis hostibus major & potentior fuit, est, & erit: cui sit laus, honor, & gloria in sempiterna fæcula, Amen.

## HISTORIA QUARTI ANNI MINISTERII JESU CHRISTI, UNA CUM EJUSDEM PASSIONE ET RE- SURRECTIONE.

### C A P U T C X V I .

#### CHRISTUS RELICTA HIEROSOLYMA PROFICISCI- TUR TRANS JORDANEM, IN LOCUM, UBI JOHANNES BAPTIZARAT. JOHAN. IC. VERS. 40.

ORDINIS INVESTIGATIO GENERALIS  
AD HISTORIAM USQUE RESUSCITATI LAZARI.

**A**B ENCÆNIIS HIEROSOLYMITANIS,  
mixturam faciunt in historiis sequentibus, & fe-  
ipsos & alios turbantes. Nos breviter, citra ta-  
men præjudicium aliorum, nostram sententiam  
proponemus. Possunt autem, mea opinione,  
historiæ, ab initio quarti anni usque ad passio-  
nem, commodissime duplice ratione distribui. 1.  
ratione temporis. 2. ratione locorum.

Primo igitur Johannes Evangelista Dominum Jesum ex Judea deducit in Peræam, trans Jordaniem, ad Bethabara, ubi Joannes primum baptizavit. Ibi aliquandiu, ut ipse Evangelista testatur, mansit. Idque propter duas causas. 1. Quia propter loci commoditatem undique multi ad ipsum convenire poterant. Erat enim ibi trajectus. 2. Ut ipse locus populo in memoriam revocaret do-  
ctrinam & testimonia Baptista de Christo. Hoc n. Evangelista diserte annotavit, factum esse. Hic ergo Christus hybernavit, & possumus huic man-  
sioni in Peræa attribuere Decembrem, licet non  
sint

Xii, quæ in principio hujus Harmonia de distributione annorum Ministerii Christi notata sunt, non ob-  
scure intelligi potest, historiam de  
Encæniis finem facere tertii anni mi-  
nisterii Christi. Inchoabantur enim 26. Novembr.  
& celebabantur per 8. dies. Initium ergo quarti  
anni ministerii rectius constitui nequit, quam  
cum post Encænia Jesus discessit ex Judea. Sic-  
ut ejusdem discessus ex Judea Joh. 4. v. 3. initium  
fecit secundi anni: & initium tertii alius Christi  
discessus, Matth. 9. v. 35. Quæſtio autem: quo-  
modo investigari & deprehendi possit ordo histo-  
riarum in hac parte quarti anni usque ad histori-  
am Lazari. Etenim totum tempus hujus quarti  
anni ministerii Christi tantum est trium mensi-  
um, & aliquid ultra, intra quod tempus omnes  
sequentes in Evangelistis historiae distribui de-  
bent. Quod quidam non observantes variam

sint annotata, quæ Christus ibi docuit & fecit. Huic tamen tempori attribuere possumus quæstionem illam cuiusdam interrogantis, an pauci sint qui salventur. *Luc. 13. v. 23.* Postea v. 31. accedit Jesum Pharisei eique dicunt: *Exi & vade hinc, quia Herodes vult te occidere.* Ergo tum temporis adhuc fuit in Peræa. Hæc enim & Galilæa illi Herodi subjacebant, non autem Judæa & Samaria. Christus ergo inde exiens, rursus transit in Judæam, ibique residuum visitationis Ecclesiærūm absolvit, atque eo sine dubio pertinent conciones, disputationes & commonefactiones, quas Lucas annotavit *Cap. 14. 15. 16. & 17.* Neque enim, ut etiam in superioribus annotatum est, Lucas Miscellanea in hisce Capp. absque ordine scriptis, eo quod pleraque eadem conciones in prioribus Capp. ab Evangelistis fuerunt annotatae. Sed monstrat, quomodo Christus in sua illa valedictione, quam in hac sua postrema profecitione instituit, simul etiam studiose instituerat repetitionem totius doctrinæ, quam per triennium tradiderat. Hinc ergo fit, quod Lucas multas conciones Christi refert ad tempus ultimæ ipsius profecitionis, quas reliqui Evangelistæ describunt in primis annis ministerii Christi. Irmò ex illis concionibus multæ à reliquis etiam Evangelistis scribuntur habita Hierosolymis, post ablutam illam ultimam profecitionem. Atque sic ostendere voluerunt, Christum eadem doctrinæ Capita repetivisse in omnibus locis. Quæ in Galilæa docuit, eadem etiam docuit Hierosolymis. Et talis fuit repetitio doctrinæ in postremo anno Ministerii Christi.

Ex Judæa autem movisse videtur tum, quando Lucas scribit cap. 17. v. 11. *Et factum est, dum iret in Jerusalem, transibat per medium Samariam & Galileam.* Hoc enim innuit, dum præponit Samariam Galilæa. Illa enim prior transeunda erat venientibus ex Judæa in Galilæam. Commorationi itaque in Judæa tribuatur dimidiis mensis: peragrationi autem per Samariam & Galilæam spatium menstruum, quo ea acciderunt, quæ Lucas cap. 17. & in principio 18. recenset. Sic suppetit unicus mensis usque ad mortem Christi in cruce. Et in illo mense rursus convenient Evangelistæ, Matthæus, Marcus & Lucas: sed hoc discrimine, quod Lucas tantum ordinem historiarum contexit, Matthæus vero & Lucas rationem itineris notatione loci describunt. Quod scilicet Jesus post sermones ipsos, nimirum post parabolam de Pharisæo & publicano, digressus sit ex Galilæa rursus in Peræa. Et quia ultima hæc erat profectio, multæ turbæ ipsum ex Galilæa sunt secutæ. Neque verò statim recto itinere ex Peræa Hierosolymas profectus est, sed & ibi Ecclesiæ visitando peragravit, docendo, sicut Marcus inquit, cap. 10, 1. & sanando, ut Matthæus scribit, cap. 19. v. 2. Et in illa regione trans Jordanem, atque ultimo mense, acciderunt historiae memorabiles. Utpote disputatio illa cum Pharisæis de repudio: cuius occasione CHRISTUS explicat doctrinam de matrimonio, & de cœlibatu. Et noctetur occasio. *Luca 16. v. 18.* in Judæa ostenderat, se improbare Phariseorum sententiam de repudio. Hoc audierant, igitur tentantes ipsi proponunt quæstionem, quasi contra Mosen esset.

Deinde mulierculæ audientes de discipulis Jesu, quia agnoscabant, infantes ipsarum per ætatem, & adultos ejus doctrinam non audituros, id est ad ipsum eos adducunt, ut benedicat. Neque enim oblati sunt ob mōrbos: quia Christus ipse dixit: *corum est regnum celorum.* Ergo ut alias infantes allati ad templum benedicabantur à Pontifice, sicut *Luc. 2. v. 34.* Simeon benedixit, aut sicut Jacobus benedixit Ephraim & Manasseh: *Gen. 48. v. 12.* sic Christus hic benedixit infantibus. Postea subsecutum est examen de vera & perfecta impletione legis: item doctrina de divitiis, & quomodo hæc impedimento sint ad vitam æternam. Denique de præmiis bonorum operum, addita gravissima admonitione, contra opinionem & fiduciam dignitatis & meriti eorum. Et hæc fuit postrema concio Christi in Peræa: sicut in Galilæa ultima fuit de Pharisæo & publicano: & Hierosolymis postrema fuit, *Joan. 14. 15. & 16.*

Posthac Matthæus, Marcus & Lucas incipiunt describere profecitionem ex Galilæa trans Jordanem per Peræam in Judæam versus Hierosolymam. Sed huic descriptioni inferenda sunt, quæ *Johan. 11.* habentur de Lazaro. Quando enim Christus nuncium accipit de morte Lazarci, nondum est in Judæa, quæ propriè sic dicitur, *Johan. 11. v. 7.* Ordo igitur ita cohæredit: Post illa, quæ in Peræa acta esse diximus, accepit Jesus nuncium de morbo Lazari, & post acceptum nuncium bido adhuc manet in Peræa, interea Lazarus moritur, & tertio denum die institutus iter ex Peræa in Judæam, ita ut quarta die veniat in Bethaniam. Et in illo itinere à Christo & Apostolis dicta & facta sunt, quæ singuli Evangelistæ, *Matth. 20. v. 17. Marc. 10. v. 32. Luc. 18. v. 31. & Johan. 11. v. 7.* annotarunt. Primo igitur die itineris ex Peræa, qui est tertius dies post mortem Lazari, Apostoli eum dehortantur ab illa profecitione: ipsa autem concionatur illis de sua passione. Postea accedit historia de petitione matris filiorum Zebedæi, & ipsorum etiam filiorum: cui insequitur indignatio reliquorum Apostolorum, quia Christus *Matth. 19. v. 28.* dixerat duodecim sessueros. Christus ergo utrisque opponit conditionem suæ regni, siue eos in officio cohibet. Circa vesperam ejus diei, cum appropinquaret Jericho, accedit historia de Zachao. Altero verò die cum ex Jericho egredetur, sanavit rursus coecum ad portam delidente, quem Marcus vocat Bartimeum, & Jesum secutum esse testatur. *Marc. 10. v. 46.* Progressus deinde in via alios duos cœcos etiam sanavit. *Matth. 20. v. 30.* In eodem itinere, cum putarent mox manifestandum esse regnum DEI, eo quod jam esset propè Hierosolymam, dixit parabolam de nobili peregre abente, & minas inter servos suos distribuente. *Luc. 10. v. 12.* Cumque non procul abesset ab Hierosolymis, & Apostolos sibi timere sciret, ipse eos prævivit, sed ad Bethaniam deflexit, ibique Lazarum a mortuis suscitavit. *Johan. 11. v. 17.* Illa verò occasione Syndrum Hierosolymitanum primum decretum fecit, Jesum esse occidentum. Non autem Jesus tum statim ingressus est Hierosolymam, sed quasi occultans se in regionem propè dœ, tum secessit. Fuit illud desertum Judææ, ubi Johannes cœpit prædicare. *Matth. 3. v. 1.* Hanc verò secessionem Hiero-

Hierosolymis calumniabantur, esse timiditatem & fugam. Pontifices itaque animosiores facti, proponunt alterum edictum, ut si quis sciret, ubi esset, eum indicaret & proderet. IESUS igitur tunc sexto die ante Pascha rediit Bethaniam, & ibi non in occulto sed tam manifeste versabatur, ut ex Hierosolymis multi peregrinorum ad illum excurrenter: unde fit tertium decretum de occidente simul & Christo & Lazaro. Altero vero die ingressus est Hierosolymam, sive tanquam

verus agnus paschalis ad mactationem se se distare voluit pro peccatis totius mundi.

Hæc est brevis delineatio ordinis historiarum quarti anni usque ad ingressum ad passionem. Si quis hac meliorem & commodiorem monstrabit, non reluctabor, sed facile cedam. Ad initium itaque quarti anni Ministerii Christi, pertinet postrema illa *τερτίαν* decimi capituli in Ioannem, quam nunc tractabimus.

### DOMINUS JESUS RELICTA HIEROSOLYMA PERGIT IN PERÆAM, UBI IOHANNES BAPTIZARAT.

JOHAN. 10.

40. Καὶ ἀπῆλθε πάλιν τέρας τὸ βορδίνιον, εἰς τὸ τόπον ὅπου λίγοι οἱ ρωμαῖοι θάψαντες τὸν πέπον αὐτὸν, καὶ ἔλεγον, ὅτι λαύριν μὲν σημεῖον ἐποίησεν οὐδὲν πάντα δι' οὗ ἦσαν λαύρινοι καὶ τέττας, αλλὰ θάλασσαν.  
41. Καὶ ἐπίστενον τοῦτοι ἐκεῖ εἰς αὐτὸν.  
42. Καὶ ἐπίστενον τοῦτοι ἐκεῖ εἰς αὐτὸν.

40. Et abiit iterum trans Jordanem, in eum locum ubi fuerat Joannes baptizans primum: mansitque illi.  
41. Et multi venerunt ad eum, ac dicebant: Joannes quidem signum edidit nullum: omnia autem quaecunque dixit Joannes de hoc, vera erant.  
42. Et crediderunt multi illi in eum.

Perioda hujus profectionis Christi.

Quibus de causis Dominus JESUS, Hierosolymitanum templum, quod spelunca latronum factum fuerat, & ipsam urbem sanguinariam defens Bethabaram se contulerit, id paulo ante indicavimus. Nimurum, 1. ut propter loci commoditatem & trajectum tanto plures auditores habere posset. 2. Ut iidem auditores sibi in memoriam revocarent, tum quæ in ipsius baptismo & inauguratione ibidem acciderant, tum quæ Johannes Baptista de ipso testificatus fuerat. Neque Dominus frustratus est sua expectatione. Utrumque enim evenisse, Evangelista disertè testatur.

I. De primo dicit: *mansit illi*, & *multi venerunt ad illum*. His paucis verbis Evangelista duo innuit. Unum, Dominum locum manendi inventisse: alterum, multos etiam auditores eum habuisse. Quod de loco annoratur, probè est observandum, ut inde discamus, Christo nunquam locum *manendi* in his terris defuturum, ut cuncte mundus tumultuetur. Si populosæ urbes, superba aulae, & amplæ Republicæ (qualis tum erat Hierosolyma, in qua gloria Judææ habitabat, & totius populi concursus siebat) eum expellant, tum locum invenit in deserto, in quem se recipiat, & in quo maneat. Quid fuit olim Græcia? quid Italia? Annon fuere quasi paradisi Domini, in quo urbes florentissimæ, habentes Ecclesiæ ab ipsis Apostolis plantatas? Quid econtra fuit Germania? Desertum horridum & inacumenum. Verum Christus ex Græcia Arrianis lapidibus, & ex Italia multiplici Idolomania expulsus, in hoc nostrum desertum demigravit, in eoque manet, tum doctrinæ puritate, tum sincera Sacramentorum administratione, apud nos Ecclesiæ colligens. Cumque ipsis placeat inter nos commorari, caueamus, ne ingratitudine ipsum repellamus.

Harm. Tom. I.

Superfunt enim adhuc deserta loca in terris, in quæ derelictis nobis, se se conferre, ibique sedem suam figere potest. Videmus etiam hinc, quam stultum & frivolum sit, Ecclesiam Christi certo loco alligare velle, prout faciunt Pontifici, qui Romanam suam primariam Ecclesiæ sedem esse contendunt, eo quod primarii Apostoli cathedram suam ibi habuerint. Certè Hierosolyma DEI missionibus, typis & dignitate, supra omnes civitates totius orbis erecta fuit, maximè quia ipse DEI filius eam sua doctrina & miraculis nobilitavit: Sed postquam eandem rejecit, non amplius fuit sedes Ecclesiæ, sed facta est spelunca latronum. Idem fit quoad alias civitates & urbes, Christi autem Ecclesia est in omnibus illis locis, etiam in pagis desertis, ubi Christus Evangelium suum docet, & sacramenta administrat, adeoque oviibus ipsis *manendi* locus conceditur.

Quod vero secundo loco additur, & *multi venerunt ad eum*, illud monstrat: quod quemadmodum Dominus nunquam caret loco in quem fugiat, & in quo commoretur, ita eundem nunquam caritatum Ecclesia & populo, cui Evangelium suum annunciet. Nam potius ex lapidibus Abraham filios suscitaturus esset, quam non haberet Ecclesiam. Matth. 3. v. 9. Etenim hæc radix Jesse, ubi cuncte erigit vexillum verbi sui, ibi ad illud confluunt populi. Jes. 11. v. 10. Suavis enim odor sacrificii Christi, etiam elonginquo attrahit homines ad se amplectendum, non aliter quam aquilæ odorantur cadavera & advolant. Matth. 24. v. 28. Hoc verbi ministris animum addat ut in capessendo suo munere sint fideles & indefessi. Tantum dent operam, ut habeant certam & legitimam vocationem, & in ea officio suo recte defungantur, tum DEUS procurabit, ne ipsis desint auditores.

oooo

II. De



IL. De posteriore refert Evangelista, quomodo illi qui Iesum convenerunt, audita ipsius doctrina & visis miraculis, sibi in memoriam revocarint, quæ dudum ex Johanne audierant, unde postmodum JESUM cum Johanne conferendo, collegerint, Iesum Johanne majorem, & proinde Messiam esse. Duobus in eo colligendo utuntur argumentis. 1. *Joannes quidem signum edidit nullum.* Volunt dicere: Johannes eximius fuit Doctor, quem omnes magnificimus, & plerique pro Messia eum habere voluerunt. Sed nullis claruit miraculis. Hic autem doctrinam suam confirmat miraculis stupendis, qualia à nemine mortalium unquam sunt edita. Dubium est ergo nullum, ipsum Johannem & omnibus Prophetis esse superiorem. Agnoscent, DEUM profilio suo, quem salvatorem in mundum mislurus erat, sibi reservasse peculiares signa, ex quibus & agnoscetur & bonis omnibus commendatus redderetur. Sicut etiam Ies. id prædictis, c. 35. v. 5. Et si absque eo fuisset, quomodo discipuli Joannis à Magistro suo abstrahiri potuissent? Qui sic ægrè eum reliquerunt, & ad Iesum se contulerunt. 2. Alterum argumentum est: *omnia, quæcumque dixit Joannes de hoc, vera erant.* Quibus verbis Johannem verum de JESU Christo testem fuisse prædicant, quo laudis titulo majori honestati non potuissent. Nam etiam in coelis hæc summa Patriarcharum, Prophetarum, Apostolorum, Martyrum & syncerorum verbi ministrorum erit gloria, quod in his terris veri fuerunt Christi testes.

Effectum horum omnium adjicitur: *S. credere multi illic in eum.* Vocabula illuc non otiosæ hic est adjecta: sed significat ipsum etiam locum mirè profundi ad excitandam fidem. Ibi enim sibi in memoriam revocarunt, quæcumque ante triennium ex Joanne ibidem audierant. Sic enim saepi solet, ut quemadmodum quædam semina in agro non mox primo anno suppululant, sed quædam secundo, quædam tertio anno: ita etiam semina verbi auditæ in quorundam animis ad tempus absque fructu jaceret, & tantum non emortuum esse videtur. Sed progressu temporis aliis circumstantiis accedentibus, succrescere incipit, & non contemnendos fert fructus. Nullus ergo verbi minister temere de laboribus docendi properea desperet, quod non videt è vestigio fructum suarum concionum. Faciat ipse officium, diligenter, & DEO committat eventum, nec dubiter, quin ipse sit facturus, ne labor ipsius inanis sit in Domino, sicuti promisit Ies. 5. v. 10. Interim videmus hic fulcrum fidei hæc duo esse firmissima, 1. consensum & harmoniam prædictionum de Christo, quando videmus omnia esse vera quæ de ipso prædicta sunt in Mose, Psalmis & Prophetis. Eventus prædictionibus omnibus exacte respondit. 2. Miracula Christi tum vetera tum hodierna, quibus Evangelium crucis divina sua praesentia inter medios hostes conservat. Hæc duo si etiam nos attenderimus, facile in fide nostra stabilimur, nisi ipsi nobis deesse velimus.

## CAPUT CXVII.

## IN QVO CHRISTUS DOCET VIAM IN REGNUM COELORUM ESSE ANGUSTAM.

LUCÆ 13. v. 23.

## RATIO ORDINIS.

**D**MNES Harmonici scriptores hanc historiam annectunt præcedenti versui 22. quasi illa acciderit in illa profecitione, quæ per civitates & castella docens iter fecit Hierosolymam. Neque ego ab eorum consensu recederem, nisi me moverent Lucae verba, quæ huic historiae subiunxit. Ibi enim scribit: εὐ αὐτῷ τῇ ἡμέρᾳ, eodem die, nimisrum quo ab illo interrogatus fuerat, accesserunt quidam Phariseorum, dicentes: Exti & vade hinc, quia Herodes vult te occidere. Hoc nullibi, præterquam in Peræ, in qua Christus postquam Hierosolymam dereliquerat, accidere potuit. Nam in Judæa & Samaria Herodes nullam habuit juris-

dictionem: Ideo ibi eum occidere non potuerat. In Galilæam autem Dominus nondum descendebat. Hanc meam sententiam de ordine confirmat etiam illud, quod Iesus ipse in communione sua contra Hierusalem inter alia inquit: *Dico vobis, quod non videbitis me, donec venerit tempus, cum dicatis: Benedic qui venit in nomine Domini.* Hoc vero factum est ipso die Palmarum, Matth. 21. v. 9. Ergo historiæ ultimi hujus trimestris sic ordinanda sunt, ne post hæc expressa Christi verba ipse dicatur Hierosolymam venisse, antequam isto cantico ab iphis fuit exceptus. Dubium itaque mihi est nullum, hunc esse proprium harum historiarum in Harmonia locum.

## QVÆSTIO, AN PAUCI SINT SALVANDI.

LUC. 13.

23. Εἶπε δὲ τοῖς ἀντρῷ, κύρε, εἰ ὅλης οἱ ἀνθρώποιοι; οἱ δὲ εἶπε ἀρρεῖς αὐτοῖς.

23. Ait autem illi quidam: Domine, an pauci sum qui salvare lumen consequuntur? ille vero dixit ad illos:

24. Καὶ